

60  
4857  
213  
100.  
pharm  
67

α ηγί ωι

# AMBROSIACA,

QUÆ

CONSENT. EXPERIENTISS. FACULT. MED.  
IN REGIA ACAD. UPSALIENSI,

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO

## D: NO DOCT. CAROLO LINNÆO,

EQUITE AURATO DE STELLA POLARI,

S:Æ R:Æ M:TIS ARCHIATRO,

MED. ET BOTAN. PROFESSORE REG. ET ORD.

ACADEMIÆ UPSALIENS. HOLM. PETROPOL.

BEROL. IMPER. LONDINENS. MONSPEL.

TOLOS. FLORENT. SOCIO,

PRO GRADU DOCTORIS

PUBLICO SUBMITTIT EXAMINI

STIPENDIARIUS REGIUS


## JACOBUS HIDEEN,

OSTROBOTNIENSIS.

IN AUDITORIO CAROL. MAJ. D. XX. JUNII

ANNI MDCCLIX. 1759

H. A. & P. M. S.



UPSALIÆ.

4. Nov 59



D. D.

§. I.



rincipium odoriferum, quod spiritum rectorem appellat BOERHAVE, volatile, subtile ac tenue est, omnem effugiens, etiam acutissimum visum tactumque, solum afficiens olfactum. Mira certe, immo abscondita est olidi natura, solvitur menstruo tam spirituofo, quam aquoso; oleum enim æthereum vel in alcohole digestum & leni destillatum calore, vel aqua conquassatum, suam amittit fragrantiam: iners vero est, quod ultimo remanet olei corpus, vid. BOERH. *Elem. Chem. T. II. p. 30.* Tanta ejus est levitas, ut corpora odore suo privata, vix quidquam de pondere perdidisse visa fuerint. Effectus in corpore humano, ipsi odores producant vere eximios, & sæpe stupendos. Quæ *gratum* spirant, amœnitate sua delicias nobis offerunt;

runt, hæc nervis sunt amicissima, quibus resolutis pulchre medentur, hos torpidos excitant, & vires deficientes refocillant, sic in Langvore, Lipothymia ac Paralyfi profunt. Afferti veritas, Melissam, Marum verum & sexcenta alia consideranti, manifesto patebit. Hinc odores a PLATONICIS inter spirituum alimenta, eleganter repositi sunt. Sed a tetro ipsa abhorret natura. Fœtor ovi putridi nauseas ciet atque angores. Mephitis sanguinis humani putrefacti, nares saltem feriens, Dysenteriam excitavit, observante PRINGLE. Vapor Gas sylvestre dictus, qui sub ipso fermentationis negotio a musto exhalat, venenum est subtilissimum, ast simul vehementissimum, quod momento citius herculeas frangit vires, & quisquis hunc attraxerit halitum, vel leto peribit, vel Apoplecticus, vel fatuus pœnas luet suæ temeritatis. cfr. BOERH. l. c. *in hist. ferment.* Sed nec omnia omnibus conducunt, fuerunt, qui gratissimam rosam vix sine animi deliquio olfacere potuerunt. Diversa quoque observantur phœnomena pro vario adhibendi modo: nam ambrosiaca Hystericis odoratu adeo inimica, interne propinata proficua evadunt. Odorifera utique Medicinam præbent vere efficacem, ex quibus ea inpræsentiarum pertractaturi sumus, quæ ambram spirant & *Ambrosiaca* dicuntur. Innocua vero hæc nostra conamina si candido Lectori haud displicuerint, admodum nos judicabimus felices.

## §. II.

Ambrosiacis ceteris longe antecellunt Ambra, Zibethum ac Moschus, ex quibus AMBRA nostram omnium primum subeat considerationem. Concretum est bituminosum, opacum, consistentia siccum, tenax. Leni calore instar ceræ mollescit, ad mtiorem ignis gradum colore liquefcit flavo, ad fortiorem tota fere avolat. Flammæ si admoveatur, accenditur, ardetque, donec nihil fere reliquum fuerit. Quoad gravitatem aqua levior est. In spiritu vini rectificatissimo ebulliente, & oleis essentialibus eam penitus dissolvi: non vero aqua oleisve unctuosis, asserit NEUMANNUS in *Prælect. Chem. de Ambra*, & LEWIS Recentissimus Editor of the *New Dispens.* p. 76. Respectu coloris duæ habentur varietates: altera *grisea* est sive variegata, quæ vel flavis interstingvitur maculis, tumque optima ac prætiiosissima censetur, vel maculis nigris: altera *unicolor*; hæc albescens, citrina, fusca ac nigra. Cfr. CEL. PROF. WALLERII *Mineralog. de Ambra*. Pretiosum hocce concretum a fraudulentis adulterari solet, qui eidem varia admiscunt heterogenea, ut Masticen ac Ladanum. Immo quidam spuriam componere didicerunt ex Cera, Benzoë, Succino, Moscho aliisque. Hæ fraudes deteguntur explorata QUALITATE, Ambra enim genuina insipida est: *Odor* ejus gratissimus, cui nihil facile reperies svaveolentius, quem præcipue spargit comminuta, igni admota ac soluta: ACU IGNITO, cui, si in ambrae genuinae frustulum intrudatur, nihil resinosi adhærebit,

rebit, circa acum vero exsudat materia quasi oleo-  
 fa, coloris flavi, & suavis ac specificus ejus perci-  
 pitur odor. *Non est melior, inquit, KÆMPHE-*  
*RUS, bonitatis & constantior nota; quam si can-*  
*denti laminæ ejus aliquot granula imponantur; nam*  
 si vera fuerit, nihil fere remanet, & adulterium  
 proditur suffitu. Ex adverso spuria, si combura-  
 tur, semper relinquit carbones aut materiam quan-  
 dam terrestrem. Magna copia colligitur in mari  
 Indico circa insulas Moluccanas & alibi ubi Ocea-  
 no innatat, est interdum reperta ad oras mariti-  
 mas Septentrionales, scil. Angliæ ac Norvegiæ.

§. III.

Rerum physicarum solertissimi scrutatores in  
 hujus naturam inquisiverunt, quo detegerent cui-  
 nam naturæ regno natales suos deberet, eadem ta-  
 men ac Corallia subiit fata; ex uno in alterum pro-  
 scripserunt, & tandem omni eidem denegata in  
 singulis naturæ regnis civitate, vel maris esse spu-  
 mam, vel meteoron, vel nescio quid de cælo de-  
 lapsum finxerunt. Fuerunt & sunt, qui Ambram  
 pro fœtura regni animalis habuerunt habentque.  
 Frustula ejus ex balænarum intestinis exempta fuisse,  
 & fel Ceti diu asservatum Ambram tandem spiras-  
 se narratur. Qui vero fidem magis merentur, DU-  
 DLEY ac BOYLSTONS ex America, asserunt eam  
 in peculiari cystide prope genitalia Ceti præsertim  
 maris, qui ad proVectiorem eVectus est ætatem,  
 repertiri, & hoc animal Ambram producere, quem-  
 admodum Moschus, Zibethum ac Castoreum ab

aliis producuntur. Alius finum avium eandem proclamavit. PARISIENSES conjectura ducebantur ad suspicanda insecta, & pro favo apum venditaverunt, a quibus collecta & rupibus maris appofita foret, quam postea favientes undæ avellerent. Quidam existimaverunt aliquam Camphoræ speciem vel arboris cujusdam orientalis lacrymas in oceanum delapsas, vel fungum maris concretum illud constituere. Chemici hunc igne soluturi nodum, Ambram mineralis esse prolapiæ, & e terræ sinu emanare, contenderunt; nam magna ejus cum succino & reliquis bituminibus est analogia, habito respectu ad difficiliorem in menstruo spirituofo solutionem, & ad partes constituentes: Quippe destillata phlegma præbet insipidum, spiritum acidum, oleum flavum odoratissimum & salvolatile acidum, remanente materia nigra, splendente, bituminosa, ut monent GRIMMIUS & GEOFFROY. NEUMANNUS vero majorem forsan adhibuerat ignis gradum, & ex integra ejus drachma destillata, unicum saltem materiæ terrestris granum in retorta remansisse observavit. Diversa corpora peregrina Ambræ glebis inhærere subinde observatum est, spinas scil. piscium, rostra, ungues plumasque avium, conchylia & lapillos, unde merito concluditur illam liquidæ sive mollioris olim fuisse consistentiæ, temporisque progressu durior em evasisse.

§. IV.

Arabes de Materia Medica bene meriti erant, quam

quam præstantissimis ditaverunt remediis, Senna, Cassiæ pulpa, Tamarindis, Manna, Rhabarbaro, Camphora aliisque. Horum quoque temporibus Ambrae in Medicina innotuit usus, quæ olim aliis frequenter admiscebatur pharmacis, suavitatis ac fragrantia conciliandæ gratia, quæ vero deliciae jam exoleverunt.

*VIS:* Nervina. Huic inter medicamenta nervis dicata principem HOFFMANNUS assignat locum. Agit suavi suo odore in systema nervosum blande excitando, refocillando & roborando; adeoque *analeptica, exhilarans, calefaciens & aphrodisiaca* est.

*USUS:* In morbis nervorum proficua censetur, nimirum Imbecillitate memoriæ, Vertigine, Lipothymia, Epilepsia, Paralyfi, Melancholia. In Fame canina specificum esse contendit RIVERIUS. Ad venerem stimulamdam ea utuntur gentes orientales, illamque longævitati haud parum conducere vulgo opinantur. Senes labascentes quod æque fulciat ac Ambra, nihil esse putat ETTMULLER. In Scabie aliisque morbis exanthematicis, si regressum minarentur efflorescentiæ, felici successu propinari potest; nam suavis ejus odor est acaris inimicus ac pestifer, qui has producere ægritudines sæpe merito culpantur. Hysterici vero ac Hypochondriaci odoris hujus suaveolentis impatientes esse solent, illas tamen levamen sentire dicunt, si ambra utero admoveatur. Dosis gr. IV. in ovo forbili.

## §. V.

Animalia variis prædita sunt facultatibus ac diversimode armata, ut eo melius semet sustentent aut contra aggressorum defendant injurias. *Crotalus horridus*, *Coluber Naja* venenum nacti sunt, quo nihil in natura vehementius, & *Raja Torpedo* motum tremulum, eandem vel leviter saltem tangenti molestissimum. *Simia capucina* clamorem edit crudelissimum, ipsa ossa quasi frangentem, quoties aliquis illam laceffit. *Mustela Ermina* perterrita, convulsa prosternitur, hinc hostium suorum præda facile futura: ast insimul tetrum spargit odorem hos fugantem. *Viverra Memphitis* ac *Putorius* peculiari muniuntur præsidio, dum aliquis has persequitur vel aggreditur feras, mejendo fetorem explodunt, cetera tere suffocantem animalia. Vid. NOB. D:NI PRÆS. *S. Nat. edit. X.* & CEL. PROF. KALM *It. Am. T. II. p. 378.*

Ex ferarum ordine & viverræ genere est quoque *Zibetha* *S. Nat. pag. 44.* descripta. In hujus utroque sexu inter Anum & partes genitales utriculus adest ubi odoramentum illud, ZIBETHUM dictum, secernitur. Animal molesto in loco affectum pruritu, se duriori affricat corpori & hanc evacuat materiam, vel ubi mansuetum fuerit auri-scalpio eximitur.

Locus natalis: *India* utraque, & *Africa*, præcipue *China* & *Brasilia*.

## §. VI.

QUALITAS, *Substantia* est unctuosâ. Color albe-

albescens, flavus & subfuscus, plus minus pro ratione vetustatis varians. *Optimum sensetur quod subpallidum habet colorem, pingve, moderate liquidum, tractu temporis crassescens, papyro impositum & affricatum solubile, sine crassamento, quo ipso distinguitur ab adulterino.* PH. WURT. p. 136. admisceri oleo expresso, æthereo & minerali, ut Amygdalarum dulcium, Terebinthinae & Succini: non vero spiritui vini NEUMANNUS docet. *Odor ambrosiacus, Ambra & Moscho gravior. Sapor amaricans.*

**VIS:** nervina, cordialis, expulsiva, soporifera.

**USUS:** In odoramentis; internus vero adhuc non invaluit. In dolore colico, & torminibus infantum, regioni umbilicali inunctum prodest. Ombibus scabie affectis felici successu grana aliquot pro dosi propinata sunt. In locum Moschi substitui posse videtur; sed longe carior est.

§. VII.

*Moschus Moschifer* ex ordine Pecorum est, & distinctum ab aliis constituit genus, *Syst. Nat. p. 66.* Cujus locus natalis *Tartaria* versus *Chinam*. Infra umbilicum Folliculum gerit, ubi pretiosum illud odoramentum MOSCHUS dictum excernitur, qui vel occiso Animali excinditur, vel ipso vivente aut sponte, pruritu quodam excitato, aut arte exinanitur. Erant olim, qui hunc vel saniem apostematis, vel sanguinem esse menstruum statuebant, quas relationes inter meros imaginationis referimus

mus foetus. Fraudulentorum injuriis Moschus obnoxius est; auri enim sacra fames allicit lucri cupidos, ut copiam rei caro satis pretio vendendæ augeant peregrinis admistis, sanguine puta exsiccato, carne, Ladano, Benzoë, nuce Myristica, aliisque quisquis, quæ mangonia a SCHRÖCKIO exposita videbis. Immo fuisse quendam in his fraudibus struendis ita versatum, testatur SCHULTZIUS, ut spurium a vero non facile dignosceres. Genuinum autem ab adulterato distingvi monet PH. WURTENB. *ope laminæ ignitæ, cui Moschus impositus totus evaporat, sed adulteratus carbonis instar quidpiam adustum relinquit.*

**QUALITAS:** *Consistentia pingvis & unctuosissima; in aqua & spiritu vini solvitur; sed non oleo expresso æthereove. Color fuscus. Odor Ambrosiacus, qui leviter nares feriens, suavitate sua nervos demulcet: ast confertim irruens, in tunicam Schneiderianam impressionem efficit minus gratam. Cum oleo tartari per deliquium digestus halitum prodit urinosum; sed acido Vitrioli & Nitri destruitur. Sapor subacris, amaricans.*

**VIS:** Nervina, Cordialis, Antispasmodica, Diaphoretica, Exanthematica, Aphrodisiaca.

§. VIII.

Moschum in India Orientali medicamentum esse solenne, quod morbis medetur atrocioribus, peregrinatores palam fecerunt. Olimque ARABES in multis, iisque gravioribus malis, utilem fore agnoverunt; ipsis admiscuerunt pharmacis, quæ cere-

cerebro cordique opicularentur, aut veneno resisterent; ab aliis quoque summis extollitur laudibus. SALOMON ALBERTUS hunc adeo necessarium judicat, *ut si usura ejus Medicinam orbaveris, ipsa mutila protinus sit ac diminuta.* WEDELIUS tanti fecit, ut, *Moscho quid cordialius?* quæsiverit. Præstans esse remedium iteratæ testantur observationes, præcipue *in Febribus contagiosis, exanthematicis ac malignis.* Miasma quid sit, solutu certe est difficillima quæstio, quæ diu licet fuerit agitata; quisque tamen sincerus fateri necessum habet, plures contagii species illis adhuc obvoluntas latere tenebris, ut determinari nequeant. Scabiem per acaros propagari non ignoramus, & Pestem, Variolas, Morbillos, pro causa, sibi propria agnoscere animalcula, admodum probabile est, Cfr. *Diff. de Exanthem. vivis.* His Moschi svaveolentia letifera. CAMERARIUS vim Moscho assignat *antiloimicam*, nimirum repellendi, dissipandi & extinguendi pestilentem aëris perniciem, cui multi in praxi bene versati consentiunt. His quidem alii acriter semet opponunt, & Moschum in dira ista lue nociturum fore, contendunt. DIEMERBROEK in peste Noviomagensi, ægrotos, eodem propinato, pejus semet habuisse, observaverat: sed epidemiæ pestilentiales plane diversæ fuerunt, ut methodus therapeutica, uni conveniens alteri nocuerit.

*In Variolis* e collo suspensus, præservando pulchra præstat. Si exanthemata retrocesserint in

his aliisve, certo certius vita periclitatur ægrotantis, in quo casu Moschus sacra est ancora, vi gaudens expulsiva.

*In Febris malignis* egregiam præbet medicinam, nervos ac cor roborando, salutarem promovet diapnoën & somnum conciliat. Delirium, subsultus tendinum, singultus metum certissime augent, quæ symptomata Moscho iteratis vicibus feliciter sustulit D:R WALL; & FULLER in Pharmacopœa extemporanea testatur, eundem *aliquando divinitus succurrere ac singultum superare*, vid. *Philos. Transact. Vol. 43. N. 474.* PRINGLE *Beobacht: über die kranckheiten einer Armee pag. 297.*

*Epilepsia*, sacer ille ac herculeus morbus, atrox est malum, quo nihil horribilius mortales excruciare potest. Hinc omni ævo summa nitentur ope, ut tantis miseriis æger releveretur. Sequentia heic profuisse commemorant observatores, radicem scil. Valerianæ sylvestris, Pœoniam, Viscum, cort. Chinæ, Oleum animale Dippelii, Fel ursi. Huc merito referendus Moschus, quem RIVERIUS, SCHENCKIUS, FORESTUS, SCHROECKIUS aliique laudaverunt, HOFFMANNUS felici adhibuit successu. VAN SVIETEN in suis *commentariis Tom. III. p. 437.* morbi hujus Moscho debellati mentionem facit, & vi adeo penetranti pollere observavit, ut excreta ægrotantis hunc redoluerint. Non ore tantummodo ingestum, sed & clysmate injectum, in convulsionibus exoptatum præstitisse effectum refert WALL in *Philos. Transact. l. c.*

*Hysteria*, quæ sexum dire vexat sequiorem, a  
 Inaveolenti hujus odore recrudescit; levatur vero  
 eodem interne adhibito. Uteroque admotus Mo-  
 schus hystericas reficere dicitur.

*Hydrophobia* funestum ut plurimum, sed ra-  
 rius, laus Deo! in Patria nostra malum, interdum  
 tamen visum. In Ostrobotnia & paræcia Ilmola  
 anno præterlapso tempore vernali nonnulli homi-  
 nes, a Lupo rabioso lacerati, hydrophobici peri-  
 bant. Laudatur heic Moschus ut efficax prophyl-  
 acticum ac therapeuticum in vehiculo propinatus  
 spirituoso, scil. Oryzæ, *Arrak* dicto, a JAMES  
 & WALL.

*Mania* Upsaliæ anno præterlapso virum juve-  
 nem corripuit, quæ, præmissis universalibus, feli-  
 citer sublata Moscho Camphoræ admisso; VAN  
 SVIETEN lætus testatur semet vidisse in juvene  
*maniaco pulchrum Moschi effectum.*

*Tussim convulsivam*, quæ sævus sane atque  
 contagiosus est morbus, per animalecula propagari,  
 haud plane negandum, quod tamen ulteriori com-  
 mittitur experientiæ. In hoc malo eundem cum  
 fructu usurpatum fuisse observatores contendunt.

## §. IX.

Quæ odore instructa sunt fortiori, motum san-  
 guinis exagitare & corpus magis calefacere, cen-  
 sentur; ex quo fundamento Moscho ingens com-  
 peteret vis calefaciens: hinc parcissima saltem pro-  
 pinandus foret dosi. Sed ab hac quoad partem di-  
 scedimus sententia, acri vim assignaturi calefacien-

sem. *Baccæ Coccognidii* ac *Piper Indicum* inodora sunt; sed vires exerunt fere igneas, quicumque hæc gustaverit, experimenti sui oblivisci nunquam poterit. *Moschus* ex adverso expers est acrimonia. Imo antea nominatus *WALL* absque æstu quodam insequenti hunc sæpius propinaverat, semper observans eundem levamen somnumque conciliasse ægrotanti placidum, ac largam effecisse diaphoresin. Qui insimul monet, infra grana sex, se nullum expertum fuisse effectum. Eidem assentit citatus supra *Editor of the New Dispensatory*, qui experimenta instituit in semet ipso. In atrociori malo dosis est a scrupulo dimidio ad integrum.

§. X.

Dantur quoque vegetabilia, quæ respectu odoris *Moscho* sunt analogæ; adeoque viribus gaudent similibus, & leviori saltem malo profligando paria reputantur; nimirum *Semina Abelmoschi*, *Geranium moschatum*, *Malva moschata*, *Allium moscatum*, *Lathyrus moschatus*.

TANTUM

